

quas anno MCXI scriptas fuisse constat, postquam scilicet Henricus V imperator privilegium investiturarum a Paschali captivo per vim extor- sisset.

Hoc sententia, ut recte perspicis, Illustrissime Primas, solido nititur fundamento, nec mirum est omnes ei subscripsisse, tametsi nullum Johanni locum antea dedissent qui archiepiscoporum Lugdunensium catalogos texerant, ut Sirmundus ipse fatetur.

Verumtamen nihil tanti viri existimatione detractum iri puto, si ejus opinionem tantisper ad tuum, Illustrissimo Pontifex, examen et judi- cium sistam. Neque enim tuo examine indigna est haec difficultas, qua non parum lucis, si accurate discutatur, historiæ ecclesiasticæ afferre potest.

Atque ut dilucide procedam, tota quæstio in eo versatur uter Hugonis successor fuerit Johannes an Jancerannus, dein siquidem Jocerannus an Johannes Joceranno postponendus sit.

Certe Jocerannum seu Gauceramum fuisse archiepiscopum constat, id enim et veteres catalogi docent et acta ab eo edita quæ inferius ad- ducturus sum. At Johannes ex præmissis tantum Yonis epistolarum inscriptionibus notus est : quæ si dubiæ sint dubius; si mendasæ nullus erit Johanni locus in serie Lugdunensium archiepiscoporum, qui revera in omnibus indicibus deest.

Atqui Jocerannus jam ea dignitate potiebatur ante annum MCXI quo prædictæ Yonis epistolæ scriptæ sunt. Id certum ex epistola sancti Anselmi Cantuariensis quæ est libri IV epistola LXXXVI inscripta *Joceranno Domino atque cum dilectione reverendo et cum reverentia diligendo archiepiscopo Lugdunensi*. Porro haec epistola scripta est ante finem mensis aprilis anni MCIX, quo mense et anno decessit Anselmus; immo scripta videtur ipso anno MCVII, quo restitutus est in sedem suam Anselmus, cui Jocerannus litteris suis gratulatus fuerat, quod cum Deus sua tandem consolatione lætificasset; ad quas litteras Ansel- mus, prædicta epistola respondit.

Itaque Jocerannus sedem Lugdunensem jam occupabat quadriennio aut saltem biennio ante scriptas ab Yvone epistolas et si quidem qua- driennio, proximi anno post obitum Hugonis.

Jam vero Lugdunensem archiepiscopatum retinebat Jocerannus, tum anno MCXIII, ut patet ex decreto alterius Gauceranni Ligoneensis epis- copi ad instituendos canonicos regulares in Divionensi Sancti Stephani ecclesia, edito *anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo*